



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Summæ Theologicæ Scholasticæ Et Moralis**

In Quatuor Partes Distributæ

In qua de Incarnatione Verbi & Mysteriis vitæ Christi, nec non de  
Sacramentis in genere & singulis in specie succinctè & dilucidè tractatur

**Herincx, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1675**

Qu. II. Quam efficaciam habeat Martyrium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72963](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72963)

tam utpote pendentem à voluntate Dei nobis non satis revelatâ.

14.  
*Acceptanda  
est mors ob  
causam ho-  
nestam.*

Altera pars conclusionis, quod scilicet mors debeat acceptari ob causam honestam, patet: quia alioquin non esset opus virtutis aut Deo gratum, nec censeretur Christo præbere testimonium, qui mortem pateretur ob finem malum aut indifferentem. Doctores autem ordinariè dicunt, hanc honestatem debere esse supernaturalem; non quod non sufficiat moralis, sed quia necessarium est, ut Martyr patiat pro virtute cum respectu ad Christum vel Deum, aliudve motivum supernaturale: eò quod aliàs non moreretur ut Christianus seu ut cultor Dei, sed uti philosophus more stoico. Immo *Lesius sup. n. 37. Suarez & alii* docent, quod causa, ob quam mors oppetitur, credi debeat fide supernaturali; ne alioquin Hæreticus occisus ob aliquem articulum fidei, cui fide naturali adhæret, Martyr dici debeat; quem tamen à veris Martyribus excludunt passim Patres. Alii ulterius ad rationem Martyrii requirunt, ut mors acceptetur ex affectu dilectionis Dei super omnia. Sed cum communiori doctrina non sunt audiendi: quandoquidem Scriptura nullibi ad Martyrium requirat talem charitatis affectum; multiq; alii affectus sufficiant ut ex illis moriens dicatur mori pro Christo, propter ipsum perdere animam suam, ipsum confiteri, & testimonium ei perhibere.

15.  
*Martyrium  
raro est in  
præcepto,  
nisi quoad  
preparatio-  
nem animi.*

Notandum I. Martyrium raro esse in præcepto: cum raro occurrat tam gravis necessitas, ob quam ita teneamur subire Martyrium, ut illud non liceat fugâ declinare. Sufficit itaque Martyrium in animi præparatione, nimirum quod homo sit ita affectus & animo paratus, ut si mortem subeundi se offerret necessitas vel occasio, non detrectet aut recuset. Quamquam occasionem quærere non tepeatur, & habitam possit plerumque declinare: immo neque positivè & expressè teneatur talem animum (qui infirmis plerumque explicitè non est proponendus) habere, sed sufficiat, dum interim occasio se non offert, non habere contrarium.

16.  
*Non licet  
quis ei se  
ingeris sine  
causa.*

Notandum II. non licere citra justam causam, v.g. salutis proximi in functionibus Missionis, profectus fidei & honoris divini &c. aut divinum instinctum se morti ingerere: id enim esset Deum tentare, vel periculum casus quærere absque sufficienti securitate de constantia. Nec mens Martyris esse debet, provocare tyrannum ad actum malum, sed potius profiteri fidem, etiam expressè protestando se ex sua parte passionem expetere (in qua essentialiter stat Martyrium, etsi actio tyranni tamquam conditio necessaria concurrat) nec obstante passione velle se à fide aut virtute declinare, quin potius illam effuso sanguine con-

*An liceat  
Tyrannum  
provocare  
ad infideli-  
tatem.*

firmare. Quod si qui Martyres vili fuerint tentare tyrannos ad inflectionem tormentorum, reverà tamen huiusmodi loquendi modis solùm desiderabant suam passionem, iusta de causa permittendo actionem tyranni, etiam datâ occasione per generosam fidei professionem: sicque testabantur fidei suæ firmitatem & veritatem, inducti divino instinctu & fidei Christianæ proprioque animæ bono. Sic etiam accipiendum est, quod Christus *Joan. 13. dixerit Judæ: Quod facis, fac citius*, id est, non impedio, per me licet, ut quàm citissime facias. Quæ proinde non est vox impellentis, sed finentis, non trepidi, sed parati, immo desiderantis suam passionem & paternæ voluntatis adimplentionem, ideoque verbis positivis exprimitur.

## QUESTIO II.

### *Quam Efficaciam habeat Martyrium?*

**D**ico I. Martyrium confert parvulis gratiam habitualement, quâ justificentur à peccato originali. Est communis Doctorum & *Scoti dist. 4. q. 3. n. 2.* atque adeo certum, ut juxta *Suarez disp. 29. sect. 1.* sine temeritate negari non possit.

Probatür I. ex sensu Ecclesiæ, quæ parvulos Innocentes ab Herode occisus in *honorabilem Martyrium receptos commendat*, ut arguit *Aug. l. 3. de libero arbitrio c. 23.* Eisdem tamquam tales prædicant sancti Patres & Doctores Ecclesiæ. Multi autem ex illis parvulis necdum erant justificati à peccato originali. Partim quia varii erant proles infidelium Judæis permixtorum; partim quia plures necdum erant octiduo nati, adeoque nec circumcisi: ergo per Martyrium est ipsi collata gratia emundans ab originali. Et quàmvis omnes antea justificati fuissent, id saltem non tam constat, quàm quod sint & ab Ecclesiâ cõstantur omnes velut sancti Martyres; adeoque hoc est ab illo incerto independens. Deinde esto illud certò constaret, cur tamen magis quàm alii parvuli in gratia morientes colerentur specialiter ab Ecclesiâ tamquam sancti & Martyres, non accepissent vi Martyrii specialem gratiam aut sanctitatem? Idem igitur est de aliis parvulis: cum in Innocentibus non sit ratio specialis, sed tantum generalis Martyrii pro Christo tolerati: adeoque non sit horum privilegium personale. Quod etiam confirmat tum sensus Ecclesiæ in similibus, tum illud *Leonis Papæ ser. 2. ad Epiph.* dicentis: *Vi disceretur, nullum hominem esse incapax divini Sacramenti, quando etiam illa ætas gloriæ ser. apud Martyrii.*

Unde nullatenus tolerandum est, quod probabile censuerunt *Armathanus & Adriani*

apud Suarez d. 29. sect. 1. Innocentes Martyres nihil gratiae aut sanctitatis per mortem illam fuisse consecutos: & si fortasse aliqui ex eis non fuerant circumcisi, eos etiam non fuisse salvos, sed in peccato originali decessisse. Neque etiam recte Sotus apud eundem Suarez sup. citat S. Bonaventuram in eadem sententiam: quippe qui d. 4. p. 2. in *Expof. textus ddb. 1.* de Innocentibus contrarium tradit. Neque in iis solis id locum habere, patet ex iis quae habet ibidem *dub. 4.* nec oppositum tradit *art. 1. quæst. 2.* ubi non tractat expresse de parvulis, & solum dicit, Baptismum prodesse pluribus, quatenus Martyrium paucioribus applicatur, etsi alioquin præcellat Baptismum.

Probatur II. ex *Marci 8. Qui perdidit animam suam propter me & Evangelium, salvam faciet eam.* Quae sententia generalis locum habet etiam in parvulis; cum & ipsi censentur perdere animam suam propter Christum, quando in eius odium occiduntur. Unde Martyrium supplet in parvulis locum Baptismi, idque efficaciori modo majorem scilicet gratiam tribuendo; quia qui martyrizantur re ipsa commoriuntur Christo; qui autem baptizantur tantum in figura; ut *Clemens Romanus lib. 5. Constit. apost. cap. 5.* aliàs 7.

Petes, an parvulus in odium Christi occisus in utero matris sit verus Martyr? Resp. satis certò esse Martyrem si Tyrannus intendat eum occidere. Unde differentia est inter Baptismum & Martyrium, quòd licet ille nequeat conferri parvulo in utero matris, eò quòd ad illum aqua non possit pertingere; possit tamen pati ibi existens Martyrium, sicut potest occidi in odium Christi. Quòd verum est, etsi mater non occideretur simul; ut si ministri Herodis infantem datam matri gravidæ potionem occidissent, salvatâ matre. Sed si parvulus tyrannus occidere non intendat, v.g. nesciens matrem esse gravidam, quam in odium Christi occidit; incertum est. Negat *Præpositus quæst. 68 art. 3. dub. 6.* Affirmat probabiliter *Gabriel & Coninch & alii*: quia etiam tali casu occiditur propter Christum, seu animam suam perdit causâ Christi: plaga enim ex qua moritur, ex odio Christi infertur, etsi mors parvuli non intendatur. Confirmatur: quia etsi Tyrannus in odium Christi, aliquem vulneraret, etiam cum expressa non occidendi intentione, si tamen mors sequatur, esset verus Martyr: ergo à fortiori idem dicendum est de parvulo. Nihilominus non desunt argumenta in contrarium, ut videtur est apud *Præpositum supra.*

Dico II. Martyrium confert vi suâ sive supra meritum etiam adultis gratiam habitualem. Conculsio est communis, & satis patet ex præcedenti: si enim Martyrium supra vel citra meritum conferat gratiam parvulis, ergo majori ratione ad-

*Herimex Sum. Theol. Pars IV.*

ulgis: in his enim mors habet formaliter rationem Martyrii & confessionis Christi, in parvulis autem solum materialiter. Probatur etiam ex *Marci 8. Qui perdidit animam suam propter me & Evangelium, salvam faciet eam. Matth. 10. Omnis qui confitetur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Quibus aliis que locis promittitur aliquid speciale morientibus pro Christo; qui tamen nihil speciale haberent, si supra meritum suum vi Martyrii nihil reciperent. Unde *Augustinus* infra adæquat verba Christi *Matth. 10. & 16.* cum illis *Joan. 3. Nisi quis renatus fuerit &c.*

Denique probatur ex Patribus, qui adscribunt Martyrio majorè efficaciam quàm Baptismo: sed Baptismus confert vi suâ gratiam, ergo magis Martyrium. Testimonia Patrum copiose refert *Suarez sup. sect. 2.* Nobis pauca sufficiant. *Clemens lib. 5. constit. Apostolic. cap. 5.* aliàs 7. *Est* (inquit) *Catechumenus sit, recedat ad Deum latus: cruciatus enim, quo est propter Deum affectus, erit ei verior Baptismus.* *Cyprianus Ep. 73.* Numquid potest vis Baptismi esse major aut potior, quàm confessio? quàm passio? &c. q. d. minime. Ideoque ex majori efficacia concludit, non posse prodesse Baptismum aquæ, cui non posset prodesse Martyrium. *Augustinus 13. de Civit. c. 7.* (estque apud *Prosperum sententia 149.*) *Quicumque etiam non percepto regenerationis lavacro pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte baptismatis.* Et infra: *Quid enim pretiosius quàm mors, per quam sit, ut etiam delicta omnia dimittantur?*

Dico III. Martyrium non tantum confert gratiam, sed etiam remissionem totius culpæ (si sit satis retractata) & pœnæ. Probatur I. quia secundum Patres Martyrium est majoris efficacis, quàm Baptismus; ergo non minùs quàm ille delet omnem culpam & pœnam. Probatur II. ex *C. Cim Marthe, de Celebrat. miss. s. fin.* ubi *Innocentius III.* ait: *Injuriam facit Martyri, qui trahit pro Martyre* (quod est desumptum ex *Augustino Tract. 84. in Joan. & alibi*) si autem non deleter omnem culpam & pœnam, esset indubie pro Martyre, uti pro aliis, orandum & sacrificandum, ut à pœnis fortè restantibus posset absolvi. Probatur III. quia Ecclesia invocat & colit Martyres statim post mortem, etsi in vita sapius, aut usque tempus Martyrii graviter peccaverint; ergo supponit omnem culpam & pœnam vi Martyrii illis esse remissam: aliunde enim hoc non potest supponere, cum actus quo Martyrium acceptatur sepius alioquin non sufficeret ad remissionem tot pœnarum restantium.

Dixi, si sit satis retractata: quia sicut potest quis baptizari cum affectu alicujus peccati venialis, ita posset cum simili affectu martyrizari: quo casu, sicut Baptismus, sic nec Martyrium remitteret culpam aut pœnam.

21.  
Immo & remissionem totius culpæ satis retractata ac pœnâ.

22.  
Quid fieret casu quo culpa alii qua non foret satis retractata.

pœnam istius venialis. Hoc tamen non est natum fieri in Martyrio, ob instantem mortem, quæ acceptatur: ideoque supponit Ecclesia, Martyres immediate post mortem beatificari & accipere aureolam Martyrii. Immo casu quo Martyr moreretur absque sufficienti retractatione peccati venialis, censendum videtur illud simul cum pœna temporali condonari in primo saltem instanti post vitam intuitu præcedentis Martyrii, accedente tunc retractatione sive contritione, saltem velut conditione sine qua non: nam certius est Martyrem verum generaliter mox à morte sine pœnarum passionem esse beatum, neque esse pro illo orandum, quam eum numquam mori nisi prius retractato quolibet veniali, cui interdum stabiliter adhærebat, adeoque istius assertio debet ab hoc esse independens.

23.  
Gratia seu  
privilegium  
Martyrii  
habet vim  
ante mor-  
tem, immo  
incarnatio-  
nem Chri-  
sti.

Etiā in  
parvulis,

Et quidem  
ab initio  
mundi.

Petes, an privilegium Martyrii habeat locum etiam ante Christi adventum? Resp. affirmativè contra Nonnullos. Patet ex Machabæis, qui tamquam Martyres ab Ecclesia coluntur. Unde *Nazianzenus orat.* 20. quæ est de Machabæis, docet, illos in fide Christi consecutos esse justitiam & effectos esse nive candidiores. Consentit etiam *Tertullianus*, quem refert, & sequitur *Henriques lib. 2. c. 36 num. 1.* Confirmatur: quia gratiam Martyrii fuisse ante passionem Christi, ac Legis novæ institutionem; veteri adhuc obligante, patet exemplo Martyrum Innocentium & Joannis Baptistæ: quidni ergo pariter fuerit ante Christi adventum? Neque tantum in adultis (ut vult *Vasquez d. 153. c. 7. num. 81.*) sed etiam in parvulis, v.g. propter legem Judæicam ante Christi adventum interfectis, ut locum habuit in Martyribus Innocentibus Christo vix nato occisis. Immo videtur hoc privilegium ab initio mundi existisse: neque enim videtur credibile, non fore Martyrem cum privilegio remissionis totius culpæ & pœnæ, & aureolæ; si quis ab initio mundi mortem gustasset ab impiis, nolens adorare idola vel deserere verum Dei cultum, aut contra illius mandatum offendere. Nec minoris est laudis id fecisse ante Christi adventum, ejus exemplo necdum ostenso, quam postquam Christus passus nobis reliquit exemplum imitandi vestigia ejus. Attamen Christo necdum passo, etiamsi nato & prædicatione factâ, Martyres sive veteris Testamenti, sive novi (si quis ante passionem Christi mortem adultus oppetiisset pro illo, uti oppetierunt Innocentes, & Joannes Baptista pro virtute) cum cæli janua necdum pate- ret, non fuissent statim cælum ingressi, uti nec baptizati tunc mortui. Fatendum equidem Patres juxta exigentiam materiæ præcipuè seu serè loqui de Martyrio novi Testamenti, in quo etiam privilegium istud divinum est à Christo expressius declaratum, & frequentius usurpatum.

### QUÆSTIO III.

#### *De Dispositione requisita ad Effectum Martyrii.*

**D**ICO I. Ad effectum Martyrii non requiritur per se in peccatore contritio seu actus charitatis Dei super omnia. Ita communius Doctores. Probatur: quia juxta Patres Martyrium est efficacius Baptismo; sed hic non requirit perfectam contritionem, ergo nec Martyrium. Deinde juxta Patres Martyrium delet peccata; non deleteret autem si præquireret talem dispositionem, utpote per quam semper deleta supponerentur.

Nec obstat Apostolus 1. ad Cor. 13. dicens: *Esi tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Nam loquitur de iis, qui nec charitatem habent, nec ad eam sunt dispositi, nempe qui Ecclesiam scindunt, sectas fuscitant vel aliis peccatis mortiferis affectu inhaerent; non autem de iis qui per attritionem & penitentiam ad charitatem tendunt. Eodem modo dicere potuisset Apostolus: Si Baptismum recepero, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest: ex quo tamen non sequitur, ad Baptismum requiri perfectam contritionem. Aliæ explicationes videantur apud alios.

Dixi in Conclusionem per se: quia per accidens ratione extrinsecæ obligationis potest requiri contritio seu actus charitatis, v. g. si Martyr non elicuisset actum charitatis, teneretur tunc elicere ad præceptum dilectionis Dei implendum. Similiter si esset in mortali, teneretur confiteri habitâ copiâ Confessarii, alioquin contentus, & si non esset baptizatus suscipere Baptismum: cum enim Martyrium non sit medium ordinarium ad salutem non exculat à mediis ordinariis, quando possunt adhiberi. Quod multò certius inde fit, quod adhuc non sit satis compertum, Martyrium justificare sine contritione aut actu charitatis: cum multi Doctores, etiam Recentiores, post *D. Bonaventuram 4. d. 4. p. 2. c. 1. q. 2.* contradicant, quilibet autem teneatur ex charitate propria providere sibi de securiori salutis æternæ medio, nec possit tam incerto esse contentus, ubi certius est ad manum.

**D**ICO II. In peccatore ad minus requiritur attritio supernaturalis. Est communis contra *Veza lib. 6. in Trid. c. 37.* & putantes sufficere voluntatem moriendi pro Christo absque ullo dolore de peccatis. Probatur Conclusio: quia absque ullo dolore, vel cum aliquo quidem, sed qui ad minus non sit attritio supernaturalis, non tollitur obex, nec homo sufficienter retractat sua peccata, ut ei Sacer-